

§. XXII. Quod vero ad *particulares Ecclesias* attinet, hæ III.) non modo in *capitibus ad fundamentum* non pertinentibus, sed etiam in *ipso fundamento* errare possunt. Etenim Ecclesia *Corinthiorum* schismata fovendo in non-fundamentalibus, *Galatarum*, legis opera Christi meritis assuendo, in fundamentalibus erravit, unde & evacuati a Christo, & gratia excidisse Apostolo dicebantur. Nec modo errorem *ad tempus* concipere, sed & *in perpetuum* fovere possunt. Id quod exemplo Ecclesiæ *Israeliticæ* doceri potest, quæ postquam a Ieroboamo ad moscholatriam seducta fuit, nunquam ab eadem legitur recessisse. Si tamen illa consideretur, ut *invisi-*
bilis, & *Electorum* respectu, tum errare quidem in fundamento *ad tempus*, non tamen *in perpetuum* potest. Uti enim nil impedit, quo minus Electi per peccata mortalia & contra conscientiam commissa prolabantur *ad tempus* e statu gratiæ, ita etiam nil obstat, quo minus errores concipere possint ad tempus, qui fidem destruant, ac fundamentum evertant.

§. XXIII. Quibus ita disputatis facile apparet, nihil absurdum esse statuere, quod defecerit a sana doctrina, & vera religione *Ecclesia Romana*, quodque gravibus & foedis erroribus corrupta fuerit ante Lutherum. Utut enim ea latissime olim patuerit, & totam prope Europam occuparit, est tamen, & manet particularis Ecclesia, quum præter illam etiam fuerit *Græca*, quæ non modo ejusdem cum Romana, seu Latina & occidentali dignitatis fuit, sed amplitudinis etiam majoris. Nec extat peculiare privilegium, per quod ab errandi periculo sit exempta, cum ad ea, quæ alioqui pro se allegare solent, Scripturæ testimonia ex *Matth. XVI, 18.* & *Joh. XIV, 16. 17.* *XVI, 12.* jam supra responsum fuerit. Quin & ipsa ex historia ostendi potest, non fuisse alienum ab Eccle-
sia